



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Monvmenta Paderbornensia

Ferdinand <II., Paderborn, Bischof>

Paderbornae, 1669

3. Præsentis Caroli Precibvs Donata Leonis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11425

Rex (Carolus Hatumaro) cum attinentijs arcem Iborg, vetustum Saxonum receptaculum : nunc paulisper detorto vocabulo Driborg vocant. Et Hermannus Hamelmannus de antiqua Westphalia ex Peucero refert. Vt Angriuarij à Visurgi ad Luppia usque ripam sederunt, ita Iburgum, quod nunc Driburgum dicitur, fuit præcipuum propugnaculum ultra Luppiam, quod dedit Carolus M. Paderbornensibus. Etsi igitur Paderbornensis Diocesis tot monumentis abundans, Iburgum suum Osnabrugensibus haud inuideat; nihil tamen causæ apparet, cur antiquis literis, & vetustiorum scriptorum testimonijs celebratam Iburgi sui, præcipitis loci situ, montis altitudine, & murorum turriúmque, quam ruinæ indicant, firmitate olim munitissimi, & ad omnes belli à Carolo M. gesti rationes accomodati, gloriam Osnabrugensibus cedere debeat, cum illud Ecclesia Paderbornensis à Carolo M. in dotem foundationis acceperit, non exiguum utique munus, sed Episcopatus dignitati, & Leonis III. Pontif. præsentis commendationi, & regiæ pietati par beneficentiæ monumentum.

3. PRÆSENTIS CAROLI PRECIBVS DONATA LEONIS. Gob. Persona. in Cosmodrom. Ætat. 6. cap. 38. pag. 190. Anno Domini 799. Leo Papa 3. venit ad Carolum in Paderborne, querens de injusta Romanorum persecutione, quem Carolus honorifice suscepit, & rogavit ut Capellam quandam ibi noviter constructam, cum jam Ecclesiam, quam præsens ibidem erexerat, ipsi rebelles vastaverant igne, dignaretur consecrare. Qui precibus regis gratanter susceptis, in eadem Capella altare in honorem S. Stephani Protomartyris devote consecravit, ac reliquijs ejusdem Martyris, quas secum Roma detulerat, in eodem altari reconditis, visitantibus

eandem Capellam in anni versario dedicationis ipsius, qui est VIII. Decemb. de benignitate Sedis Apostolicæ magnas indulgentias concessit, & sedem ibidem Episcopalem auctoritate Apostolica confirmavit. Et tunc ad petitionem Papæ Carolus dedit Ecclesiæ Paderbornensi castrum Iburg, de quo supra dictum est. Albertus Cranzius, & Hermannus Hamelmannus §. 2. supra citati. Gasp. Bruschius, Kerffenbrochius, & Hovelius in catalogis Episcoporum Paderbornensium, & Bruschius quidem ita. *donavit hunc Episcopum (Hathumarum) Carolus M. presente Leone III. arce Triburgensi cum adjacentē territorio omni.* Cæterum, teste Gob. Persona in Cosmod. cap. 60. pag. 228. *Bernardus II. Episcopus Paderborn. An. 1189. montem Iburg occupavit, & munire cœpit.* Castrum autem Driborg adhuc An. 1309. stetit ostendunt literæ capituli Paderbor. quibus fatentur, *quod cum consensu Guntheri Episcopi Paderbor. elegerint Bernardum Præpositum in tutorem Ecclesiæ, cum obligatione, ut redimi sinat castra Dryburg, & Nyggenhusen, pro 1400. marcis denariorum oppignorata; licet autem Gob. Perf. loco. cit. subjungat, suo adhuc tempore, id est An. 1418. quo Cosmod. suum absolvit, castrum Driburgum perseverasse, hoc de parietinis ejus accipio: ex quo enim Bernardus V. Episcopus Paderbornensis, ipso Gob. Perf. in Cosmod. cap. 68. pag. 240. referente, intra An. 1320. quo cœpit, & An. 1340. quo defunctus, fundavit castrum Dringenberg, & reditus castri Driborg illò transtulit; verisimillimum nobis videtur, Driburgum castrum habitari desisse, & veteres ejus incolas, ob incommodum montis ascensum, ad illius pedem demigrasse. Tantum de Driburgo seu Iburgo nostro, ubi Tilemannum Frisium in speculo de monetis lib. 3. cap. 1. & 8. sedem seu templum Irmensulæ falsò posuisse superius in Eresburgi notis demonstravimus. LVDA*